

plus valere, quàm aëris inferioris columna sola ac in partem solùm orbiculi sive baseos terminata. Neque procedet hîc *Mari*, tametsi, speciosa, consequentia, quâ aëris elasticitatem eludere conatur p. 413. alleg. Tom. I. Philos. in hunc sensum ratiocinatus: Si aëris & aquæ desuper orbiculo incumbentes columnæ junctim agentes possunt affigere fundo perforato, contra junctas itidem vires cylindri aquei cavi & aëris inferni per foramen infra urgentes; eosdem illos in eundem orbiculum desuper tenendum eò plus valituros, in vase non-perforato contra solitarias cylindri aquei cavi vires; quod tamen non fiat. Responsio enim facilis est, atque eadem quam ad similem consequentiam in casu simillimo, p. 39. *Auctar. Partis I. Colleg. Experimentalis* dedimus.



TENTAMEN XIII.

De

Hygroscoptorum novis quibusdam generibus & Aëro-metro composito novo.

I.

DE Hygroscoptis cùm ageremus Parte I. Colleg. Curiosi Tentam. XIV. inter cætera simplicius quoddam Phænomen. II. descripsimus, in cujus usu id difficultatis nobis occurrit, quòd in aëre libero pendulum hujus agitationibus variis & inconstantissimis subinde ex debito suo situ emoveatur, quem ex causa non alia quàm humiditatis aut siccitatis in aëre incremento vel decremento mutare debuerat. Hanc difficultatem tollere sequenti modo studuimus: Obteximus orbiculum ligneum campanâ vitreâ, sic ut aëris externi commotiones eum attingere haut facilè possent, & funiculus orbiculum sustentans per angustum quoddam foramen, B, satis liberè tamen adhuc, transmitti suisque contorsionibus